

tentationum aeuleos in hac vita nos undique circumdantes, et virtutum murum perforantes innotescit.

Sed cuncta haec licet subtiliter Rector insinuet, nisi contra delicta singulorum aemulationis spiritu ferveat, nullam sibi in perpetuum absolutionem parat. Unde illic adhuc recte subjungitur: et tu sume tibi sartagine ferream, et pones eam murum ferreum inter te et inter civitatem. Per sartagine quippe frixura mentis, per ferrum vero increpationis fortitudo signatur. Quid vero acrius doctoris mentem, quam zelus Dei frigit et excruciat? Unde Paulus hujus sartaginis urebatur frixura, cum diceret: quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Et quia quisquis zelo Dei accenditur, ne damnari ex negligentia debeat, forti in perpetuum custodia munitur, recte dicitur: pones eam murum ferreum inter te et civitatem. Sartago enim ferrea murus ferreus inter Prophetam et civitatem ponitur; quia cum nunc fortem zelum Rectores exhibent, eundem zelum postmodum inter se et auditores suos fortem muniti-
onem tenent: ne tunc ad vindictam destituti sint, si nunc fuerint in correptione dissoluti.

Sed inter haec sciendum est, quia dum ad increpationem se mens doctoris exasperat, difficile valde est, ut non aliquando et ad aliquid quod dicere non debet, erumpat. Et plerumque contingit, ut dum culpa subditorum cum magna invectione corripitur, magistri lingua usque ad excessus verba pertrahatur. Cumque increpatione immoderate accenditur, corda delinquentium in desperatione deprimuntur. Unde necesse est, ut exasperatus Rector, cum subditorum mentem plus quam debuit percussisse considerat, apud se semper ad poenitentiam recurrat: ut per lamenta veniam in conspectu veritatis obtineat, ex eo etiam quod per zeli ejus studium peccat. Quod figurate Dominus per Moysen praecipit, dicens: si quis abierit cum amico suo simpliciter in silvam ad ligna caedenda, et lignum securis fugerit manu, ferrumque lapsum